

rata est. Quam ob rem Guntharius & Thietgaudus Archiepiscopi divortij auctores, altero post anno, Romam profecti, porrectoque supplici libello, justis ex causis divortium à Lothario factum probare contenterunt. Postquam omnia Romæ in concilio Episcoporum diligenter examinata, damnati non modò Archiepiscopi, sed & Episcopali munere sunt exuti, & à fidelium societate ejecti, ceteris Episcopis, si resipiscerent, venia & reconciliatio promissa. Quibus Guntharius & Thietgaudus in furorem acti, virulentissimam in Romanum Pontificem vulgârunt Epistolam, quâ nec à schismaticis, nec hæreticis, nec barbaris, utrècte Baronius censuit, quicquam malevolentius scribi poterat. Recitant hanc epistolam Annales Francorum à Pithœo editi, quam passim ab hæreticis nostri sæculi, odio in Pontificem, tam avidè videoas arripi, quâm malè tuæ causæ patrocinium à schismaticis & projectis extra Ecclesiam rebellibus flagitosisque hominibus emendicare necesse habent.

\* 863.  
Luthardus Ep.  
consecrat  
Ecclesi-  
am S. Pau-  
li propè  
Corbei-  
am.

\* 864.  
Vetus MS.  
Corbesense.

Hoc interim \* anno Luthardus Episcopus noster, Ecclesiam S. Pauli, quam Adelgarius Abbas haud procul ab ipso Corbejensi cœnobio ad Visurgim construxerat, solenni ritu consecravit; alteroque ab hinc \* anno Adelgarius Abbas reliquias S. Luitrudis Virginis in eam intulit; Ecclesia verò clericis sub Præpositi administratio- ne attributa est. Parochia simul hæc Ecclesia fuisse creditur in loco veteris Huxtariæ, uti cœmeterium & cetera monumenta monstrant. Post verò hæc ipsa Ecclesia seu ob Visurgis alluvionem, seu ob incendium vici, quo cœnobium illud afflatum, translatum est anno M CC XXX in oppidum Huxtariense, increvitque in collegium canonicorum, quod inde celebre fuit ad nostram ætatem.

## Annus Christi 864.

Nicolai Pont. 7.

Ludovici II. Imp. 9.

Ludovici Germ. Regis. 24.

Luthardi Ep. Pad. 5.

Lothari⁹  
Pontifici  
se submit-  
tit.

Rediēre interim ex Italia superius damnati Archiepiscopi, animis omnino diversi. Trevirensis conscientiâ facti admonitus, decreto Pontificis se submisit: perstigit pertinacior Coloniensis. Post ubi Lotharius Rex Pontifici scripsit, se in omnibus voluntati ejus accessum, & Waldradam pellicem cum probro ex aula abjecit; tum tandem Guntharius se delusum vidit, eoque denuo Pontifici supplex Romam est profectus. Sed Pontifex hominem tam pertinacis ac turbulenti ingenij nec ad Episcopi sedem, nec ad sacerdotalia munia admittendum decrevit. Inde exutus habitu, solaque communione laica inter profanos ex decreto Pontificis vivere jussus, quo tandem exitu vitam clauserit, incertum reliquere scriptores. Nihil Saxonie Episcopis cum hac causa commune unquam fuit, quibus